



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Interpretatio Epistolae quae dicitur ab Iba episcopo scripta esse ad Marim
Persam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

INTERPRETATIO EPISTOLÆ
ANNO CHRISTI
553.
quæ dicitur ab Iba episcopo scripta esse
ad Marim Persam.Concilium
Calched.
act. 10.

COMPENDIOSE vero sapientiae tuæ lucidae, quæ per pauca
multa cognoscit, qualia ante hoc & nunc facta sunt, manifesta-
re festinauimus: scientes quod hæc tuæ reuerentiae scribentes, omni-
bus pertuum studiū, qui ibi sunt, fuerint manifesta quæ a nobis scri-
buntur, qui nullam immutationem a Deo datæ scripturæ acceperūt.
Facio vero initium causæ ex verbis quæ & ipse cognoscis. Factum
est certamen ex quo tua reuerentia hic fuit, duobus hominibus istis,
Nestorio & Cyrillo, & conscripserunt contra se verba nocibilia, quæ
scandala erant audientibus. Nestorius enim dixit in suis libris, sicut
& tua reuerentia cognoscit, quod beata Maria Dei genitrix non
est, ut putaretur pluribus de secta Pauli Samosateni esse, dicentis ho-
minem purum esse Christum. Cyrus vero volens verba Nestorii re-
futare, lubricauit, & inuentus est cecidisse in dogma Apollinarii.
Conscriptis enim & iste similiter illi, quod ipse Deus Verbum factus
est homo, ut non sit differentia inter templum & inhabitantem in
eo. Conscriptis enim duodecim capitula, quæ puto & tuam reueren-
tiā cognouisse, quod una natura est deitatis & humanitatis Do-
mini nostri Iesu Christi, & quod non oportet, inquit, diuidere voces
dictas, quas aut ipse Dominus pro se dixit, aut euangelistæ de ipso.
Omni vero impietate ea plena sunt & antequam nos dicamus, sicut
& tua sanctitas cognoscit. Quomodo enim possibile est accipi Verbū,
quod ab initio est, pro templo quod ex Maria natum est? aut illud,
Minorasti eum paulo minus ab angelis, de deitate Vnigeniti
dictum suisse? Ecclesia enim sic dicit, sicut & tuareuerentia cognoscit,
& ab initio edicta est, & firmata diuina doctrina ex verbis beatissimorum patrum: Duæ naturæ, una virtus, una persona, quod est unus Filius Dominus Jesus Christus. Propter hoc certamē viatores &
pii imperatores iusserunt primates episcoporum in Ephesinam ciuitatem congregari, & sub omnibus libros Nestorii & Cyrilli iudicari. Antequam vero omnes episcopi, qui iussi sunt congregari, in Ephesum peruenirent, antecedens idem Cyrillus aures omnium veneno
obcaecanti oculos sapientium obtinuit: inuenit vero * clausas ex odio * causam
contra Nestorium. Et antequam in Synodus perueniret vir san-
ctissimus & reuerendissimus archiepiscopus Ioannes, de episcopatu
Nestorium deiecerunt, iudicio & quæstione non facta. Post duos
vero dies deiectionis eius venimus in Ephesum: & cum didicissimus
quod

Psal. 8.

ANNO CHRISTI 535. quod in deiectione Nestorii, quæ ab his facta est, duodecim capitula conscripta a Cyrillo contra constituta fidei veræ proposuerunt & confirmarunt, & eis consenserunt, ut pote veræ fidei consonantibus, omnes orientis episcopi ipsum Cyrillum deiecerunt, & contra alios episcopos qui consenserunt capitulo, excommunicationem statuerunt. Et post hanc confusionem unusquisque in suam ciuitatem reversus est. Nestorius vero, quoniam odio habebatur suæ ciuitati, & maioribus in ea constitutis, illuc reuerti non potuit. Et mansit Syndodus orientalis non communicans episcopis communicantibus Cyrillo. Et propter hæc tribulatio multa inter eos facta est, & in certamine episcopi ad episcopos facti sunt, & populi ad populos, & quæ scripta sunt, opere impleta sunt, quod erunt inimici hominis Matth. 10.
 domestici eius. Et ex hoc maleloquia multa contra nos facta sunt, tam paganorum, quam hereticorum: nec enim audebat aliquis de ciuitate in ciuitatem, & a prouincia in prouinciam ire: sed unusquisque proximum ut inimicum persequebatur. Multi vero non habentes timorem Dei ante oculos, occasione zeli pro ecclesiis, quam habebant inimicitiam occultam in corde suo, ad effectum perducere festinauerunt. Quorum unus ex ipsis est nostræ ciuitatis tyrannus, quem & ipse non ignoras, qui occasione fidei non solum cum eo viuentes persequitur, sed etiam eos qui dudum ad Dominum abierunt. Qui unus ex ipsis est beatus Theodorus prædicator veritatis & doctore ecclesiæ, non solum in vita sua hereticos percutit in veram suæ fidem, sed etiam post mortem arma spiritualia in suis libris filii ecclesiæ dereliquit, sicut & tua reverentia cum eo collocuta cognovit, & ex his quæ ab eo conscripta sunt, credidit. Istum ausus est, qui omnia audet, in ecclesia manifeste anathematizare, qui propter zelum Dei non solum suam ciuitatem ab errore in veritatem conuertit, sed etiam longe ægrotantes ecclesiæ eruditus sua doctrina. Et de codicibus autem eius multa ubique inuestigatio facta est, non quod fidei veræ alieni fuerant, (vidi enim quod illum viuentem frequenter laudabat, & in codicibus eius legebat) sed propter inimicitiam occultam, quam habebat ad eum, quoniam conuicit eum manifeste in Synodo. Iste vero malis inter eos tenentibus, & unoquoque ut volebat, sicut scriptum est, eunte, Deus noster adorandus, qui semper sua clementia curat ecclesiam, excitauit fidelissimi & victoris imperatoris cor, mittere virum magnum & cognitum de suo palatio, qui compelleret virum religiosissimum & sanctissimum archiepiscopum orientis domum Ioannem conciliari Cyrillo: ab ipso enim episcopatu deieclus erat. Et postquam suscepit
Indic. 17. &
21.
 Concil. Tom. 12. T

ANNO
CHRISTI
535

literas imperatoris, direxit sanctissimum & reuerendissimum Paulum episcopum Emesæ, scribens per eum veram fidem, & mandans ei, quod si isti fidei consenserit Cyrilus, & anathematizauerit dicentes quod deitas passa est, & dicentes quod una natura est deitatis & humanitatis, ut ei communicet. Voluit autem Dominus, semper curans pro sua ecclesia sanguine suo redempta, & cor Aegyptii mollire, ut sine vexatione fidei consentiret, ut eam susciperet, & omnes extra eam credentes anathematizaret. Et cum communicaissent inuicem, certamen de medio ablatum est, & pax in ecclesia facta est, & non iam de cetero in ea dissidium, sed pax sicut prius est. Quæ vero sunt verba a viro sanctissimo & reuerendissimo archiepiscopo Ioanne scripta, & quæ rescripta suscepit a Cyrillo, ipsas epistolas huic, quæ ad tuam reuerentia scripta est, coniungens, direxit tuæ reuerentiae, ut legens cognoscas, & omnibus patribus nostris pacem amantibus annunties, quod certamen iam cessauit, & medius paries ablatus est inimicitiae, & qui inordinate contra viuentes & mortuos irruerunt, in confusione sunt, satisfacientes pro suis culpis, & contraria priori suæ doctrinæ docentes. Non enim presumit aliquis dicere, quod una est natura deitatis & humanitatis; sed contentur in templum & inhabitantem in eo, qui est unus Filius Iesus Christus. Haec vero scripta tuæ reuerentiae ex multo affectu quem habeo ad te, confidens quod tua sanctitas noctu dieque in doctrina Dei te ipsum exerces, ut & multis prodeesse possis.

Sancta Synodus dixit: Scimus Proclum religiosæ memoriæ literis vsum esse ad Ioannem reuerendissimæ memoriæ Antiochenum episcopum, in quibus scripsit apud se accusatum esse Ibam eo quod Nestorii dogmata diligit, & quædam ex impiis Theodori capitulis in Syrorum transtulit linguam, & hæc scripsit, & ubique transmisit. Relegatur igitur prædicta epistola, ad præsentem quæstionem respiciens. Et cum suscepisset Callonymus reuerendissimus diaconus & notarius, recitauit.

*EPISTOLA PROCLI EPISCOPI
Constantinopolitani ad Ioannem episcopum
Antiochenum.*

ARBITROR te cognoscere, religiosissime, magis vero certescio, non quamlibet a Deo colligere mercedem eos qui indormitabili mentis oculo ecclesiasticis inuigilant necessitatibus, nocte dieque procurare & consulere